

mensium, eundem Petrum Keglevyrb, sub poena praemissa notae perpetuae infidelitatis et confiscationis omnium bonorum suorum, relinquere debeant et teneantur.

FERDINANDI I. IMPER. & REGIS DECRETUM IX. ANNI 1546.

*Castra, castella et fortalitia, defensionis minus necessaria, in Regno Sclavoniae et Croatiae diruantur: Quibus autem opus est; praesidio muniantur.*

A r t i c u l u s 42.

Quod Majestas Regia, castra, castella et fortalitia in Regno Sclavoniae et Croatiae, Turcis finitima, et quae, vel ex suis redditibus, vel eorum, quorum sunt, privatis opibus conservari non possunt; statim per Dominum Capitaneum suum, aut Banum illius Regni, vel per alios Commissarios suos, diligenter ubique inspicere et considerari curet:

§. 1. Et ea, quae pro defensione Regni illius necessaria videbuntur; ad manus Suae Majestatis recipiat, vel aliter de illorum conservatione maturo consilio, quoad ejus fieri potest, provideat:

§. 2. Illa vero, quae minus necessaria visa fuerint; dirui et comburi faciat, ne in manus hostium deveniant.

*Sclavoniae Regnum Rex diligenter tueatur: Et de salario Banorum, ac militum suorum, tempestive provideat.*

A r t i c u l u s 43.

Quod Majestas Regia defensionis Regni Sclavoniae mature prospiciat et inter caetera, tum Domino Bano solutionem subinde fieri curet; ut ipse cum suis gentibus praesto semper ad defensionem, quocumque opus fuerit, esse queat:

§. 1. Tum vero aliis quoque Dominis, ac Nobilibus Croatis, quibus in confiniis bona sunt, nec propter excursions continuas Turcarum, quas sub praesentibus induciis crebriores quam antea faciunt; agros colere, vel sese aliter ex propriis redditibus sustentare possunt; de solutione aliqua provideat: Ut et hi, in defensionem illorum Regnorum praesto sint.

FERDINANDI I. IMPER. & REGIS DECRETUM XI. ANNI 1548.

*Ecclesiarum desertarum bona, ad Praedicatorum intertentionem et erectionem Scholarum, convertantur.*

A r t i c u l u s 12.

Praeterea, bona et proventus Monasteriorum et Claustrorum, ac Capitulum desertorum (excepta Belavar in Regno Sclavoniae et ejus pertinentiis, quas Majestas Regia, durante beneplacito suo, Francisco Tahi, ad sustentationem ejus, ad tempus concessit) ad alendos doctos Parochos et Verbi DEI synceros Praedicatores: Qui populum in veteri Orthodoxa vera Catholicaque fide et Religione conservare, et si qui ab ea desciverunt in hoc Regno, ad eam reducere studeant: Nec non ad in-